

TABVLA RECITATIONVM

IN

ACADEMIA LVDOVICIANA

PER SEMESTRE AESTIVVM

A DIE XXIII. APRIL.

CIDIOCCCLXXXVII.

IN CHOANDARVM.

RECTOR
ACADEMIAE LVDOVICIANAE
D. LVDOVICVS BENIAMIN
OUVRIER
CVM SENATV.

Inter capita Historiae litterariae vniuersalis, quae singularum scientiarum fata enarrant, quaeque nondum diligenter satis pertractata sunt, praecipue referendum videtur illud, quo initia atque incrementa *Encyclopaediae* exponuntur. Illa certe, quae clarissimus *Appel*, *Encyclopaediae & Methodologiae generalis Professor Moguntinus*, in Programme de *idea Encyclopaediae* 1784. edidit, p. 24. sq. hac de re in medium protulit, tam manca sunt atque imperfecta, ut nemini satisfacere possint. Quisquis historiam litterariam *Encyclopaediae* elaborare velit, praeter ordinem chronologicum rationem etiam habere debet scopi diuersi, quem singuli talium librorum auctores sibi proposuerunt. Aliam enim viam ingrediuntur eorum in usum, qui amatores rei litterariae (*Dilettanten*) vulgo appellantur, omnem scientiarum ambitum delineantes, aliam philosophis vincula, quibus scientiae artesque omnes inter se cohaerent, demonstrantes, aliam denique tironibus elementariam aliquam doctrinae solidioris notitiam exhibentes. Institutionum encyclopaedicarum, quae hodie, uti in hac nostra Musarum sede, ita in plerisque Germaniae Academiis tradi solent, origo ab omnibus historiae litterariae scriptoribus refertur ad annum 1756, quo primum *Io. Matth. Gesnerus* in vniuersitate Goettingensi praelectiones tales recitare iussus est. Verum enim vero multo ante in hac nostra Academia eiusmodi recitationes habitae sunt, id quod iam pluribus docere decreuimus, non solum, quia Academiae nostrae honori duci potest, eam tale quid conatam esse illo tempore, quo *Encyclopaediae* academicae utilitas a plerisque in dubium vocabatur, sed etiam, quoniam maiores quoque viri, quem mox nominabimus, conatus in historia litteraria silentio praetermissos esse videmus. *Ioh. nempe Christianus Lange* Lipsiensis, Moralium primo, deinde Philosophiae rationalis in Ludouiciana nostra Professor publicus ordinarius, qui a. 1716. ad munus Superintendentis Idsteinensis auocatus est, iamiam anno 1702. scholas encyclopaedicas Gissae aperuit, easque ciuibus academicis commendauit programmate eum in finem edito, cuius inscriptio haec est: *Designatio noui cuiusdam Instituti circa Collegium Isagogicum in eruditionem vniuersam, quod nonnullorum rogatu habere constituit L. C. Lange, Mor. Pr. Gissae, litteris Vulpii 1702. p. 8. 40.* In commentatione illa *Langius*, postquam naturam eruditionis explicauit, singulas eius partes systemate quodam coniungi posse docet, atque de methodica eruditionis tractatione, de subsidiis eius, atque de singularum scientiarum historia praecognita quaedam exhibet. *Encyclopaedia* praeparari studiosos ad illas, quas sibi quisque eligit, eruditionis partes, quum sibi persuasum *Langius* haberet, auditores suos eruditionis vniuersae notitia aliqua imbuiere nitebatur. Atat eo nobis quidem peccasse videretur, quod *Collegium* illud *Isagogicum* non in omnium studiosorum, sed eorum modo,

modo, qui Theologiae sese addixerant, usum instituerit. Quam ob causam non *uniuersalem* totius eruditionis, sed earum tantum scientiarum, quae Theologorum rationibus conducant, delineationem suscepit, ideoque intra limites praelectionum, quas Theologica & Philosophica Facultas sibi vindicant, substitit. Porro praelectiones, quas primae scientiarum degustationi destinabat, ita extendit, ut sex semestria, siue integrum triennium ad cursum illum absoluendum requireret, quo temporis spatio studiosis singulae istae scientiae a singulis earum Professoribus tradi possunt. Collegium enim illud *Isagogicum* per sex periodos ita distribertus est, ut in periodo *prima* Introductionem generalem in eruditionem uniuersam, Didacticam, Logicam, Metaphysicam; Methodum Theologiae, atque Theologiam naturalem, in periodo *secunda* Introductionem generalem in Philologicam & Criticam, Introductionem generalem in studium sermonis, Historiam, & Theologiam reuelatam, seu Criticam sacram, in periodo *tertia* Linguae Graecae puritatem, eiusdem eloquentiam, notitiam autorum graecorum, atque Dogmaticam, in periodo *quarta* linguae Latinae theoriam, linguae Germanicae praecepta, Hebraicae & caeterarum linguarum orientalium notitiam, linguarum reliquarum Europaeorum praegustum, ac Theologiam moralem, in periodo *quinta* Mathesin, Cosmographiam, Geographiam, Astronomiam, & Theologiam polemicam, in periodo *sexta* denique Physicam, Philosophiam moralem, Iurisprudentiam ecclesiasticam, Prudentiamque specialem in ecclesia, schola, republica & familia exhiberet. Quae quidem praelectionum *Langianarum* enumeratio notionem Encyclopaediae veram tempore illo nondum satis fixam & stabilitam, neque omnis omnino doctrinae delineationem a *Langio* factam esse docet. Amplam nimis fuisse & copiosam institutionem scientiarum, quam *Langius* auditoribus suis tradidit, exinde pater, quod sex hebdomadis cuiusque diebus duas horas & dimidiam absumserit, minimum profecto temporis spatium pro consueti in academiis studendi ratione. Caeterum institutum illud *Langii*, sicuti noua omnia, aduersarios multos inuenisse, minime mirum acerte illa, qua plerique utilitatem Encyclopaediae prorsus ignorabant. Metus scilicet agitauit collegas *Langii*, ne praelectionibus istis studiosos ita ad se alliceret, ut reliqui Professores soli in cathedris plorarent, metus plane vanus, quum *Langius* non *Pausophiam*, non Philosophiae & Theologiae Cursum, sed *Isagogen* in theologicas philosophicasque scientias pollicitus esset. Quid de instituto illo collegae *Langii* indicarint, testantur illa, quae hac de re in *fastis Decanatus Facultatis Philosophiae* extant. Decanus scilicet anni 1702. *Ruediger*, Organi Prof. Publ. verbis sequentibus sententiam suam de *Langii* conatibus declarauit: "Unicum fortasse publici incrementi vestigium est, quod Exc. Dom. Pr. *Langio*, praecurrente ven. facultate theologica, etiam a nostra, absque omni tamen in posteritatem praepudicio, tantisper & hac vice ius permissum fuerit, Collegium aliquod *Pausophicum*, quod is quidem *Isagogicum* in omnes partes & Philosophiae & Theologiae vocare maluit, certis legibus, cerro etiam numero auditorum (ne alia Collegia Philosophica detrimentum inde, aut per *επιστολήν απο- γογην* aliquam aut apocopen patiantur) comprehensum & publico programme designandi, & iuxta praefixam inibi metam habendi. Faxit Deus in multa Academiae incrementa!" Quibus *Ruedigeri* verbis *Langius* postea, causam suam defensurus, haec subnotauit: "Gratulator mihi, quod vider. Dn. Collega pro aliquo incrementi publici vestigio voluerit interpretari hunc meum qualemcunque conatum in omnes Philosophiae & Theologiae partes *isagogicum*, quo nihil detrimenti caeteris honor. Dn. Collegarum collegiis philosophicis fuisse illatum, vel ipsa institui mei ratio & scopus ex programme typis impresso, quod in arcam Decanatus fuit repositum, plenius cognoscenda facile legenti cuique persuadebunt. Quae autem de praecurrente ven. facultate theologica scripta hic leguntur, de permittente ego malim intelligi, cum nulla alia ratione facultas ista ven. ad institutum hoc contulerit quicquam, quam solo quidem benenolo permissu, quem precibus meis modeste expetitur percepta instituti ratione non censuit esse denegandum." Haec de academicis Encyclopaediae scholis, quas primus *Langius* aperuit, sufficiant. De maiori quodam opere encyclopaedico, quod idem ingenti conatu molitus est, alia data occasione differemus. Iam enim spatium relinquendum ipsi praelectionum aestiuarum indici, quo Vobis, *Commilitones aestiuatissimi*, ex omni scientiarum penu recitationes offeruntur praeceptorum doctrina pariter ac industria Vobis commendatissimorum. Inchoate nouum discendi curriculum ea, qua soletis, alacritate, Vestrisque in omni doctrina profectibus augete studia Professorum Vestris commodis inferuendi!

LECTIONES THEOLOGICAE.

D IO. GEORG. BECHTOLD Hora VII. theologiam dogmaticam duce Ven. DOEDERLEIN hora VIII. theologiae moralis partem posteriorem praeunte Ven. TITTMANNO praeleget. Hora II. pomeridiana lectiones suas exegeticas in N. T. continuabit, epistolas catholicas cum apocalypsi expositurus. Quibus collegium catechetivum adiunget, cum elaborationibus catechetico - practicis coniunctum.

D. LV.

D. LVDOVICVS BENIAMIN OUVRIER. Hor. VII - VIII. Theologiam dogmaticam docebit, duce Seilero. IX - X. Historiam ecclesiasticam enarrabit praeunte b. Moshemio. II - III. pomerid. pericopas euangelicas explicabit. Examinatorium in dogmaticam, id cupientibus offert, nec iis deerit, qui historiam religionis ad compendium suum desiderauerint.

IO. CHRISTOPH. FRID. SCHVLZ hor. VIII - IX. Theologiae moralis partem priorem ex TITTMANNO praelegit. Hor. IX - X. Epistolam ad Hebraeos & posteriorem ad Corinthios ex propria textus recensione interpretabitur. Hor. X - XI. praecepta homiletica tradet exemplisque illustrabit.

LECTIONES IVRIDICAE.

D. IO. CHRISTOPH. KOCH Institutiones ex HEINECCIO, Pandectas ex HELLFELDIO, ius Canonicum e BOEHMERO, ius Criminale e compendio suo horis consuetis tradet. Disputatorium quoque & Examinatorium offert.

D. IO. DAN. HENRICVS MVSAEVS Hor. VII - VIII. *Ius feudale* BOEHMERO duce; Hor. VIII - IX. *Processum summorum. Imperii tribunalium* PÜTTERO praeunte docebit. Hor. XI - XII. Scholas *elaboratorio-practicas* denuo aperiet. Hor. I - II. *Ius mercatorum & cambiale* ex libris suis tradet. Hor. III - IV. *Historiam Imperii R. G. PÜTTERI* compendium fecuturus narrabit.

D. HELVICVS BERNHARDVS IAVP hora IX - X. *ius publicum S. R. I.* docebit, praeunte PÜTTERO. Eodem duce hora XI - XII. diebus Martis & Iouis *ius priuatum principum* proponet. Hora II - III. *ius Germanicum priuatum* tradet ad filum SELCHOVII.

D. IO. GODOFR. SIGISM. ALBR. BVCHNER *priuatim* hora IX - X & XI - XII. ad b. *Heuffeldi* iurisprudentiam forensẽ secundum ordinẽ pandectarum commentabitur. Hora X - XI. principia iuris naturae & gentium, filum libelli iii. *Hoepfneri* sequuturus, omni fide & industria tradet. Hora auditoribus commoda historiam iuris duce *Selchowio* enarrabit. *Publice* diebus Saturni exercitationes disputatorias aperiet.

LECTIONES MEDICAE.

D. IO. GVIL. BAVMER, Med. Prof. primar. hora X. antemerid. in chemiam suam theoretico - practicam commentabitur, atque diebus consuetis experimenta chemica diligenter instituet. Hora XI. therapiam specialem ad sua praecepta, longo usu firmata, tradet. Hor. I. pomerid. collegium styli latini purioris priuatum aperiet. Hor. II. Geographiam subterraneam, ad ductum compendii sui, de hac scientia editi, docebit. Fauente coelo otioque concessio, diligentes excursiones mineralogico - botanicas, historiae naturalis in ipsis naturae officinis excolendae causa, suscipiet. Praeterea iurisprudentiae medicae collegium priuatissimum cupientibus offert.

D. IO. LVD. FRID. DIETZ Prof. Med. Ord. H. VII - VIII. Physiologiam praeunte Metzgero; H. VIII - IX. Pathologiam generalem duce Ludwigio explicabit. Praelectiones in Therapiam generalem desiderantibus haud deerit.

D. CAROLVS GVILIELMVS CHRISTIANVS MÜLLER *priuatim* h. VII - VIII. Physicam dogmatico - experimentalem, duce Becmanno, h. VIII - IX. Botanicen ad systema Linneanum, docebit. *Priuatissime* h. X - XI. Therapiam specialem tradet.

LECTIONES PHILOSOPHICAE.

ANDREAS BOEHM, Philos. & Mathem. P. P. P. Biblioth. acad. praef. *Metaphysicam* h. VII. *logicam* h. VIII. secundum compendia a se edita, *mathesin puram* h. III. *geographiam*, *chronologiam*, *gnomonicam* & *utramque architecturam* h. II. secundum WOLFII Auszug aus den Anfangsgründen docebit. Bibliotheca publica statim temporibus patebit.

D. CHRISTIANVS HENRICVS SCHMID, Poeseos & Eloqu. P. P. O. Publice Hora III - IV. *Horatii Odas* illustrabit; *privatim* Hor. VIII - IX. *Praecepta stili bene Latini* duce Schellero tradet; Hor. IX - X. Notitiam librorum cuius studio vtilissimorum e Millero exhibebit, ad docenda *Aesthetices*, *Poetices*, & *Rhetorices* elementa paratissimus.

HENR. MART. GODOFR. KOESTER Hist. P. P. O. hora X. Historiam statuum *Europae*, hor. XI. Historiam *universalem*, hor. IV. Philosophiam *moralem* ad Compendia sua, Historiam vero *ecclesiasticam* ad Comp. Schroeckhianum docebit, ad Praelectiones in Historiam Imperii R. I. Procerum, & in Statisticam, vt vocant, paratus.

GVILIELMVS FRIDERICVS HEZEL, Philos. D, LL. OO. & Antiqq. Sacrr. P. P. O. Publice ad *linguae Arabicae elementa*, addiscenda adducet discendi cupidos, e praecipis suis, typis exscriptis; additis, si videbitur, primis institutionibus *Chaldaicis*, *Syriacis*. Privatim Hor. X - XI. commentabitur in librum *Iobi*; Hor. XI - XII. in SS. libros Novi Foederis, Deo annuente, circiter biennio absolvendos, ab euangelio *Ioannis* inchoaturus. Hor. I - II. monstrabit *linguae Ebraeae fundamenta*, ita, vt, breui faciliq. methodo, ad solidam huius sermonis cognitionem adspirare queant auditores. Ad tradenda praeepta artis criticae V. ac N. T. & enarrandas antiquitates Ebraeorum sacras pariter atque politicas, nec non domesticas aequè paratus.

D. AVG. FRID. WILH. CROME. Prof. P. O. Oeconomiam tradet ad Becmanni compendium. Statisticam cameralem, duce Achenwallio, ex recensione Schloezeri. Geographiam politico - cameralem Germaniae docebit publice. Offert quoque politicam & politiam ad Achenwallii *Staats - Klugheit*.

GEORG. FRID. WERNER Geometriam, & Architecturam civilem horis commodis docebit.

LECTIONES EXTRAORDINARIAE.

IO. FRIDER. ROOS Philos. D. & P. P. E. O. h. VII - VIII. in *historiam Europaeam*; h. XI - XII. in *historiam universalem* praelectiones instituet. Hora vero III - IV. pomeridiana *Sophoclis Aiacem flagelliferum* & *Oedipum tyrannum* interpretabitur, *Brunkianam* textus recensionem secuturus.

Praeter ista Generosissimis Nobilissimisque Ciuibus de luculenta *equirandi*, *pugnandi gladio saltandique palaestra*, *Anglicae*, *Gallicae* & *Italicae* linguae scholis, per magistros eorum peritissimos, publice constitutos, abunde prospectum est.